BRANDENBVRG
MARCHIONATVS
ET ELECTORATVS.

Hanc Brandeburgicæ Marchiæ descriptionem primus solusq; nobis præstitit doctissimus Mathematicus & professor in academia Francofordiana ad Oderam Elias Camerarius, vir à quo multa in astronomicis desideratissima expectabamus, si longiorem illi vitam concessisset Dominus, tam enim in observatione motuum solis, lunæ, ac stellarum diligentissimus erat, ad castigandos quos in ijs certo deprehendebat errores. Conscripsit autem hanc tabulam non geometricis instrumentis vsus, vt cui propter academica negotia id integrum non fuit, sed ex suis aliorumq; profectionibus, atque adeo solerter & circūspectè, vt lõgitudinis latitudinisq; regionis symmetriam vix melius potuisset attingere, etiamsi admiculo dioptræ geographicæ per triãgulos eam fuisset emensus. Id me docuit experientia, quandoquidem vt reliquis circumsitis regionum tabulis eius descriptionẽ conciliarem, vix vlla contractione aut extensione opus fuit, sed in eam quam proximè longitudinem ac latitudinem exterioris loci iuxta ipsius dimensiones positi incidebant, quam circumuicine tabulæ diligentissimè à me castigatæ & conciliatæ requirebant. Admiratus fui eius dexteritatem nullius instrumenti vsu subnixam, & gauisus sum exquisitè omnia meis dispositionib⁹ quadrare: latitudo enim vrbis Francofurtensis, quam ille sæpe dimensus est, elegantissimè in meam regionum symmetriam & dispositionem consentiebat. Itaque est quod illi gratias agamus & pia memoria eius nomen recolamus. De nobilitate & politico statu regionis haud dubiè designationem aliquam mihi suppeditasset, si superuixisset, nunc nihil habeo amplius quàm quod tota Principis Electoris ditio in 7. aut 8 prouincias sit distributa, q̃ sũt Alde Marck, Middel Marck, Neu Marck, Vker marck, Pregnitz, Crossen ducatus, Sterneberg & Cotbus dominia. Item pars Lusatiæ: Inter quas proculdubio, tum ad conseruationẽ & curam totius corporis, tum ad gubernationem populorum certus est ordinum status & politia.

Sunt & minores in his prouincijs Comitatus, vt Rapin, 35.14:53.8. & Vierraden 36.54:53.7. & Kustrin Marchionatus 37.14:52.36.

Continentur etiam hac tabula:

MEKELNBVRG siue Magnopolensis ducatus, & POMERANIAE pars maxima.

Ecclesiastici *in hac tabula sunt.*

- *Magdeburgensis Archiepiscopus & Primas Germaniæ: cui subsunt in Brandeburgẽsi Marcka Brandenburg Episc. & Hauelburg.*
- *In Mekelnburg Swerinensis Episcopus sub Bremensi,*
- *In Pomerania Camin Episcopus.*

Meridiani distant iuxta rationem paralleli 53. o ad circulum maximum.

S